

N. 23.

A. D. 1278.

(15 settembre, Indiz. VI).

<i>Data di luogo</i>	Conversano.
<i>Rogatario</i>	Riccio di Conversano.
<i>Descrizione</i>	Gotica. Buono stato. 17 × 26.
<i>Contenuto</i>	L'Abbadessa Isabella concede a Leone de Valleriano un chiuso sterile coll'obbligo di piantare in tre anni due vigne a proprie spese, di dare una parte del vino mosto al cellario del Monastero, e, se avesse seminato, il terratico secondo l'uso di Conversano.
<i>Bibliografia</i>	Inedita.

Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo Regnante domino nostro Rege Karolo dei gratia Regnorum Ierusalem et Sicilie ducatus Apulie principatus Capue Alme Urbis Senatore Andegavie Provincie Forcalquerii et Tornadorii comite Romani Imperii et in Tuscia per sanctam Romanam ecclesiam Vicarii generalis. Regni eius Ierusalem anno primo. Regni vero Sicilie, Anno terciodecimo. 5 Mense septembri quinto decimo eius, sexte Ind.

Ego Leonus filius Iohannis de Vallariano civitatis Cupersani intus in eadem civitate In presencia Maionis de Notaro Stephano Iudicis Cupersani, Nicolai et Angeli notariorum, et Leonis de Baro, presenti scripto declaro quoniam conveni me cum domina Ysabella venerabili Abbatissa monasterii sancti Benedicti de Cupersano et per convenientiam habemus inter me et ipsam, de voluntate et consensu totius conventus seu monasterii supradicti, recepi ab eadem domina Abbatissa clausum unum desertum quod dicitur de ferrario in loco vineolo pariete diruto circumdatum iuxta clausum Pauli Iaconi Vincencij, et prope clausum Rinelli, et prope clausum Archipresbiteri Petri de Adelicia et prope viam qua itur Monopolim, de quo clauso deserto predicta domina Abbatissa nostro monasterio eius nulla utilitas nec comodum habeatur, tali condicione ut a presenti die in antea omni futuro tempore ego vel mei heredes teneamus et possideamus clausum predictum cum tenimentis iustis pertinentiis et utilitatibus suis cum introytibus et exitibus suis usque ad vias publicas et faciamus in eo et de eo omnia quae voluerimus sine contrarietate et requisitione cuiuslibet persone. Ita tamen ut ego et mei heredes hinc usque ad annos tres plantemus in deserta vineas duas propriis expensis nostris et annuatim ego vel mei heredes demus et deferamus in cellario monasterii supradicti de quinque partibus unam de musto in ipsis vineis nascituro, et quinta parte de pomis quam vendiderimus annuatim, et quando seminavimus terram vacuam que est in eodem clauso similiter demus et deferemus eidem monasterio terraticum iuxta usum et consuetudinem Cupersani. Unde voluntarie in presencia predictorum vadim predicte domine Abbatisse dedi quam ipsa

5

10

15

20

25

recepit cum Iudice Iacobo advocate suo et me ipsum fideiussorem ei constitui eo tenore  
ut ego et mei heredes adhimpleamus et perficiamus predicte domine Abbatisse vel suis  
posterioribus omnia qualiter superius declaratur. Quod nisi fecerimus obligo me et meos  
30 heredes componere eidem domine Abbatisse vel suis posterioribus pro pena unciam auri  
unam et alteram puplico invitique compleamus omnia supradicta districto me ipso obli-  
gatore et fideiussore eidem domine Abbatisse vel suis posterioribus licentiam tribuentibus  
pignerare me et meos heredes per omnes res nostras licitas et inlicitas sine kalumpnia  
et appellatione donec predicta omnia compleantur. Quod taliter scripsit Riccius puplicus  
35 Cupersani notarius qui interfuit.

† Maio Notarius Stephani Cupersani Iudex.

† Ego Nicolaus puplicus Cupersani Notarius.

† Ego Angelus puplicus Cupersani Notarius.